TABVLÆ DE SCHEMATIBVS ET TROPIS

P. MOSELLANI.

IN RHETORICA.

IN ERASMI ROTERODAMI libellum de duplici copia.

LONDINI

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS KYNGSTONI.

1577.

PETRVS MOSELLANVS CANDIDO LECTORI SALVTEM.

OMneis Latini sermonis delicias in figuris & tropis potissimum sitas esse, nemo est vel mediocriter eruditorum qui nesciat studiose Lector. Etenim vt pictura non simplex, sed quæ variis distinguitur coloribus, spectantium oculos maximè pascit, & pratum omnigenis variegatum floribus inambulantibus arridet: ita oratio non vndique sui similis, verùm suis interspersa figuris, suis variata tropis, auditorum aures capit, mereturque applausum, adeò vt præter Græcos, qui huic negotio volumina dederunt, & Cicero & Quintilianus in dicendi arte principes, hac de virtute diligentissimè perscribere dignum putarint. Quam ob rem quum tot figurarum, tot troporum non minus sit necessaria cognitio, quàm memoria difficilis, & ipsum me operæpretium facturum existimaui si quæ ad hanc rem pertinere videbuntur, vniuersa ex probatissimis scriptoribus, tum Græcis, tum Latinis, in breuem hanc tabellam congessero, certaque descriptione arctâro. Quam si in locum in quo frequenter versaris, suffigas, futurum vt quum nunquam non oculis obuersetur, in memoriæ thesaurum citra molestiam reponatur. Qua in re candido suffragatur calculo Erasmus Roterodamus noster, omnium, quos sol hic vidit, vt doctissimus

ita

ita & eloquentißimus, idem quod nobis consultum videtur, præcipies. Porrò, vt quid sequutus sim, scias, primùm figuras λέξεως omnes, orationis vitia complura, tum virtutes, in quibus tropi sunt, insigniores exhibemus, eáque omnia, tametsi præter aliorum consuetudinem, σχήματος nomine comprehendimus. Non quod ita rectius quadrare censeam, sed quod hac ratione vniuersa facilius in ordinem, qui memoriam vel cumprimis iuuat, digerantur. Deinde ipsa nomina, quæ vbique ferme corrupta deprehenduntur, suæ integritati restituta Græcè reddimus, ijs etiam, quæ vel Tullius, vel Fabius, vel Diomedes Latina fecerunt, appositis: pariter singula explicantes, tum finitionibus, tum exemplis. Postremò omnibus modum adhibuimus, ne apud æquum iudicem, vel in congerendo Græcorum quorundam curiositatem æmulari, vel omittendo quæ addidisse præstaret, nonnullorum negligentiam referre meritò videri possimus. Restant tamen aliqua, quæ nec mihi faciunt satis, quibus accuratiùs excutiendis, tempus quod huic lucubratiunculæ angustum destinâram, minimè respondebat. Quicquid id est quod dedimus, iuuandi studio dedimus candidissime Lector: olim vbi & eruditionis & otij plus nacti fuerimus pleniora ac instructiora aspirante Deo, prolaturi: Vale, & nostram operam boni consule.

DE SCHEMATIBVS ET TROPIS, PETRI MOSELLANI TABVLÆ.

Σχῆμα *Schema, est confirmatio quædam vel dictionis, vel orationis, vel sententiæ, vulgi consuetudinem excedens.*

Cuius partes tres, { *FIGVRA* / *VITIVM* / *VIRTVS*

FIGVRA.

Figura, vel sententiæ, vel orationis, vel verborum est habitus, præter cõmunem cõsuetudinem innouatus.

Et est duplex, scilicet { διανοίας, / λέξεως.

Διανοίας, *id est sensus vel sententiarum figura quæ quanquam (autore Donato) ad Oratores proprie pertinet, & nos quæ Grammatici sunt, conquirenda hoc labore tantum statuimus: tamen eius speciei adscripsissemus libenter, si non immensam instituti molem futuram hac ratione perspexissemus.*

Λέξεως *Lexeos, Figura est, quum in oratione aliquid quod ad verba attinet, innouatur præter vulgarem consuetudinem.*

Cuius

Cuius genera sunt, Figuræ { Dictionis / Locutionis / Constructionis.

Figura dictionis & illius partes.

Figura dictionis in Prosa βαρβαρισμός *barbarismus, in carmine* μεταπλασμός *metaplasmus dicitur. Transformatio quædam est vnius dictionis.*

Cuius partes a Grammaticis recensentur: { Prothesis / Epenthesis / Proparalepsis / Aphæresis / Syncope / Apocope / Ectasis / Systole / Diæresis / Episynalœphe / Synalœphe / Ecthlipsis / Antithesis / Metathesis.

Πρόθεσις *Prothesis, Appositio ad principium scilicet dictionis vel literæ vel syllabæ. Literæ: vt, Gnatus pro natus dixit Terentius. Syllabæ: vt Tetuli pro tuli.*

Ἐπένθεσις *Epenthesis, Interpositio, cum inter primam & vltimã dictionis syllabam adijcitur litera, vt,*

Religio pro religio, apud Virgil. Syllabæ: vt Induperator pro imperator. Lucan.

Προπαραλῆψις *Proparalepsis, quam præassumptionem dixeris, quæ eadem & παραγώγη Paragoge dicitur, etsi Diomedes separat, cùm ad finem quippiam accedit, vt Dicier pro dici. extulit Persius.*

Ἀφαίρεσις *Aphæresis, Ablatio à principio dictionis, contraria προθέσει Prothesi. Literæ: vt, Runt omnia latè, pro erunt, Æneidos secundo. Syllabæ: vt, Temnere pro contemnere. extulit Poeta ibidem.*

Συνκοπὴ *Syncope, Concisio. Figura planè contraria ἐπενθέσει Epenthesi, quoties è dictionis medio aliquid excinditur: vt, Dixti pro dixisti. Terentius. Repostum pro repositum, & Accestis pro accessistis. Virgilius.*

Ἀποκοπὴ *Apocope, Abcisio à dictionis fine vel literæ vel syllabæ, contraria παραγώγη Paragoge. Literæ, Achillei pro Achillis dixit Maro Syllabæ, δῶ pro δῶμα, apud Homerum, Odissea α.*

Ἔκτασις *Ectasis, Extensio syllabæ, natura contractæ: vt, Exercet Diana choros. Diana prima porrecta dixit, quum geminatione fuisset contrahenda.*

Συστολὴ *Systole, Contractio syllabæ natura protensæ: vt Idolam media breui dixit Prudentius, vir verè prudens, non insciti a Græcarum literarum, vt Literatores clamitant, sed in re sacra hac vsus figura.*

Διαίρεσις *Diæresis, Diuisio vnius syllabæ in duas:*

vt,

vt, *Aulai, in medio, Æneidos tertio, pro aulæ: quo modo Lucretius in libris de rerum natura genitivos ferme semper in prima forma exiulit.*

Ἐπισυναλοιφή *Episynalœphe, Conglutinatio duarum syllabarum in vnam, contraria διαιρέσει: vt, Fixerit æripedem cervam, pro æripedem. Virgilius Georg. tertio.*

Συναλοιφή *Synalœphe, Deletio, quum videlicet duabus vocalibus concurrentibus, prior quasi deletur: vt,*

Carthag' Italiam contra, Tyberinaq; longè. pro Carthago Italiam. Æneid. primo.

Ἔκθλιψις *Ecthlipsis, Elisio, quædam vocalium cum consonantibus asperè concurrentium: vt, Multum ille & terris iactatus & alto. Quem versum dum metiris, dicere oportet, Mult' ill' & terris iactatus & alto.*

Ἀντίθεσις *Antithesis, siue commodiori verbo* ἀντιστοίχου *Antistœchon, quum litera pro litera ponitur. Olli subridens hominum sator, atque Deorum, pro illi. Virgil. Maro suæ ποιήσεως primo.*

Μετάθεσις *Metathesis, Transpositio quædam literarum, vt Tymbre dixit poëta in decimo pro Timber. In quo μεταπλασμῷ Metaplasmo, mirum quàm sint audaces Poëtæ Græci.*

Adijciunt quidam ex Diomede παραλλαγὴν προθέσεως, id est, immutationem præpositionum, quæ nobis non τᾶ μεταπλασμὸς quam σολοικισμῷ spe-

cies videri solet. Verùm hoc loco memineris lector, non vbique metaplasmo locum esse, imò non idem in ioculari & paruo opere licebit, quòd priscis illis in iusta & sublimis argumenti poësi condonatum est. Quare Horatianum illud semper in animo & pectore habeas. Tantùm opere in magno fas esse obrepere somnum. Neque statim imitandum proponas, quicquid vsquam concessum inueneris.

Figura locutionis & eius partes.

Figura Locutionis ratio est quædam locutionis compositione nouata.

Cuius hæ numerantur species.	*Prolepsis,*	*Zeugma,*
	Hypozeuxis,	*Syllepsis,*
	Anadiplosis,	*Anaphora,*
	Epanalepsis,	*Epizeuxis,*
	Paronomasia,	*Schesis onomaton,*
	Paræmion,	*Hamæoteleuton,*
	Homæoptoton,	*Polyptoton,*
	Irmus,	*Endiadis,*
	Hypallage,	*Prosopopœia,*
	Antypophora,	*Aposiopesis,*
	Clymax,	*Polysyndeton,*
	Asyndeton,	*Antimetabole.*

Πρόληψις *Prolepsis, id est, Præsumptio rerum summaria, quæ deinceps particulariùs enarrantur: vt, Interea reges, ingenti mole Latinus Quadrijugo inuehitur curru, bigis it Turnus in albis. Virgilius.*

Ζεῦγμα *Zeugma, quũ diuersæ clausulæ vni verbo tri-*

bo tribuuntur.

Et est triplex: πρόζευγμα, μεσόζευγμα, ὑπόζευγμα.

Πρόζευγμα Prozeugma, Præiunctio, quoties verbum clausulis præponitur: vt Cicero, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Μεσόζευγμα Mesozeugma, quum, in clausularum medio verbum collocatur. Cuius speciosum exemplum extat apud Maronem Æneid. 2. Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi, Qui tripodas, Clarij lauros, qui sydera sentis, Et volucrum linguas & præpetis omina pennæ. Hîc, sentis, & præcedentes & sequentes nexit clausulas.

Ὑπόζευγμα Hypozeugma. Subiunctio, quum verbum subiungitur in fine. Cicero in Catilinam: Nihilne te nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hîc munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque mouerunt?

Ὑπόζευξις Hypozeuxis, Figura superiori contraria, quum diuersæ clausulæ singulis verbis reddiuntur: vt, Regem adit, & regi memorat nomenque genusque. Æneid. octauo.

Σύλληψις Syllepsis, Conglutinata conceptio, quoties diuersi numeri clausulæ vno claudantur verbo, Virg. in primo. Hîc illius arma, Hîc currus fuit.

Ἀνάδιπλωσις Anadiplosis, Reduplicatio, cùm vl-

tima prioris versus dictio, in sequentis principio iteratur, Mario in 10. Sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens.

Ἀναφορὰ Anaphora, Relatio eiusdem scilicet verbi per principia plurimorum versuum. Horatius odarum secundo.

Otium dijs rogat in patenti,
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori.

Ἐπανάληψις Epanalepsis, autore Donato (nam Diomedes reclamat) cum eadem dictio versum & incipit & claudit: vt, Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Æneidos. 1.

Ἐπιζευξις Epizeuxis, Subiunctio eiusdem scilicet verbi sine aliqua interpositione, maioris vehementiæ gratia. Qua ratione ferme & superiores fiunt replicationes. Virgil. in nono, Me me, adsum, qui feci.

Παρονομασία, Agnominatio latine dicitur, quum iucunda quædam vocum fit colluuio, significatu tamen diuerso. Terent. in Andria. Nam incœptio est amentium: haud amantium.

Σχέσις τῶν ὀνομάτων Schesis onomaton, id est, Nominũ habitus quidam, quoties verborũ multitudo eodem copulãdi habitu coacernatur: vt hoc apud poetã: Marsa manus, Peligna cohors, festina virũm vis.

Παροίμιον Paræmion, Assimile, quoties multa verba ab eodem incipientia elemento, ex ordine collocantur: vt, O Tite tute Tati, tibi tanta Tyranne tulisti.

Ipſi. Ennius citante Priſciano libro duodecimo.

Ομοιοτέλευτον Homeoteleuton, quum ſimiliter vel diſſimiles vel ſententiæ finiuntur. Ennius, vt citat Diomedes: Eos deduci, euehi, quàm deſeri malui. Quæ figura apud Græcos inſignis eſt Iſocrates.

Ομοιόπτωτον Homeoptoton, quum eodem caſuum tenore clauſula terminatur: vt eſt apud Saluſt. Maximis ducibus, fortibus, ſtrenuiſq; militibus.

Πολύπτωτον Polyptoton, multitudo caſuum varietate diſtincta: vt Æneidos quarto, Littora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis, pugnent ipſi q; nepotes.

Εἱμὸς Irmus, ſeries eſt orationis, eodem ſilo ad clauſulam vſque protenſa: vt, Principio cœlum ac terras, campoſq; liquentes, Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; aſtra, Spiritus intus alit Æneidos ſeptimo.

Ἐνδιάδυς Endiadis, figura, quum ſixum in nobis ſoluitur: vt, Per famam ac populum, pro, Per famoſum populum, dixit Poeta.

Ὑπάλλαγη Hypallage, Eſt quoties oratio conuerſo rerum ordine effertur: vt, Dare claſſibus Auſtros, pro, Dare claſſes Auſtris. Virgilius.

Προσωποποιία Proſopopœia, Perſonarum fictio, nimirum quum rebus mutis ſermo tribuitur. In qua quanquam poetæ multum ſibi permittunt, tamen & oratores vſurpant, vt Cicero in Catilinam, Patriæ ſermonem accommodat.

Antu-

Αντυποφορά *Antypophora, Quum tacitè occurrimus quæstioni, quam figuram & poëtæ & oratores in vsu habent, quorum exempla referre nimis hic longum esset.*

Αποσιώπησις *Aposiopesis, quam Cicero reticentiam appellat, quum per iram ver indignationem, orationis partem reticemus, Quos ego: sed motos præstat componere fluctus, tacet enim Puniam.*

Κλίμαξ *Climax, interprete Tullio, gradatio, quoties ab eo verbo quo sensus superior claudebatur, inferior incipit: ac deinceps hoc modo quasi per gradus ascendit. Cuius aptissimum exemplum extat apud Homerum Illiados β, de sceptro ab Ioue in Agamemnonem vsque deducto. Sed & Virgilius in Bucolicis, Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam. Et alia.*

πολυσύνδετον *Polysyndeton, Structura multis nexa coniunctionibus: vt, Athamasq́ Thoasq́ Pelidesq́ Neoptolemus, primusq́ Machaon Æneid. 2.*

Ασύνδετον *Asyndeton, Superiori cõtraria, quum structura vinculis caret, Abijt, excessit, euasit, erupit. Tullius in Catilinam. Ferte citi flammas, date vela, impellite remos, Æneidos quarto.*

Αντιμεταβολή *Antimetabole, apud quosdam inter figuras refertur, quam Latinè contramutationem vertere possis: vt, non viuo vt edam, sed edo vt viuam: inquit Cato. Reliquæ figuræ, quas Fabius ex multis Græcis curiosè satis conuertit, impræsentia-*

rum

rum adscribere non est animus: partim quod Grammaticum artificium excedant, partim quod insignioris congerere tantum nostrum est instituum.

Figura constructionis eiúsque partes.

Figura constructionis, quæ in syntaxi vulgarem rationem excedit.

Cuius species sunt: *Prolepsis, Zeugma, Syllepsis, Enocatio, Appositio.*

πρόλη ψις *Prolepsis, Præsumptio totius, cuius partes ad vnam proprietatem postea referuntur: vt, Milites pugnam, vnus in hostem, alter in patriam.*

Ζεῦγμα *Zeugma, quoties vna proprietas diuersis subiectis tribuitur, vni prius, alteri posterius, ita tamen vt viciniori respondeat: vt, Ego & tu scribis.*

Σύλλη ψις *Syllepsis, Conceptio, quum dignius attrahit minus dignum: quæ ambo tamen ad vnam proprietatem referentur, vt digniori respondeat: vt, Ego & tu scribimus.*

Enocatio, quoties prima vel secunda persona tertiam quasi enocat: vt, Ego Virgilius cano: quanquam hoc loco, mea sententia, Virgilius non tam tertiæ quàm primæ personæ est.

Appositio est, quum duo fixa vel plura sine copula nectuntur: vt, Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent, Virgilius primo Æneidos, Formosum pastor

pastor Corydon ardebat Alexin, Delicias domini. Idem in Bucolicis.

Nonnulli recentiores literatores συνεκδοχὴν *synecdochen addunt, quæ tum fit, quum* ἑλληνίζοντες *Ethyops albus dentes, dicimus: & vt Virgilius. Nuda genus, quod* ἀττικισμῶ *fieri certum est.*

VITIVM.

Schematis pars secunda.

Vitium in oratione quasi error quidam, qui etsi poëtis condonatur, in prosa tamen intolerabilis est.

Cuius species sunt, { *Obscurum,* *Inordinatum,* *Barbarum.*

Obscurum, eiúsque partes.

Obscurum, quum vel verborum, vel structura vitio obscuritas quædam inducitur.

Cuius partes habẽtur, { *Acyron,* *Pleonasmos,* *Perissologia,* *Tautologia,* *Homœologia,* *Amphibologia,* *Eclipsis,* *Periergia.*

Ακυρον *Acyron, Improprietas, quum dictio minimè propriæ significationis, orationi ceu nubes inducitur. Terentius, Nam quod tu speras, propulsabo facilè. Speras pro times, quomodo & Græci suum*

ſuum ἐλπίζειν vſurpant.

πλεονασμός *Pleonaſmos*, ſit quoties (inquit *Fabius*) ſuperuacuis verbis oneratur oratio: vt, *Vidi meis oculis. Satis eſt enim, Vidi. Sic ore loquuta eſt. Æneidos primo.*

περισσολογία *Periſſologia* ſit quum ſententia aliqua ſine pondere rerum adijcitur: vt, *Liuius in octauo ab vrbe condita, Legati non impetrata pace, retrò domum, vnde venerant, reuerſi ſunt.*

ταυτολογία *Tautologia*, Eiuſdem verbi aut ſermonis iteratio, cui vitio etiam *Ciceronem* obnoxium notat *Fabius*, quòd dixerit. *Non ſolum igitur illud iudicium iudicij ſimile iudices non fuit. Quamuis caſu diuerſo.*

ὁμοιολογία *Homœologia*, Peius vitiũ ſuperiori, quum oratio vndique ſui ſimilis nulla varietatis gratia leuat tædium, ſed eſt tota coloris vnius. *Cuius exemplum, ne nimis longum ſit, impræſentiarum non abſcribimus.*

ἀμφιβολογία *Amphibologia*, quando ſtructuræ vitio, vtro verbum ſit referendum dubitatur: quemadmodum *Pyrrho* oraculum reſpondit, *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe. Hic* vtri victoria promittatur, incertum.

ἔκλειψις *Eclipſis*, Defectus, quem (ni fallor) *Fabius* μείωσιν vocat, quum ſermoni aliquid deeſt quò minus plenus ſit: vt, *Italiam fato profugus*: id eſt. *Ad. Egò illiũ? quæ illum? quæ me? quæ non? In Eunucho.*

περι-

περιεργία *Periergia, Superuacua, & (vt ita dixerim (operositas nimia in loquendo. Quod vitium aut idem, aut certè admodum affine ei quod* μακρολογίαν *nominant, cum Fabius, tum Diomedes, Quum sermo, cultus gratia, longior fit quàm oportet. Virgilius, Postera vix summos spargebat lumine montes Orta dies, quum primùm alto se gurgite tollunt Solis equi, lucemq́ elatis naribus efflant.*

Hæc vitia quanquam fermè omnia à Diomede sub obscuro seu genere comprehenduntur, non tamen ignoro multis aliter videri posse. Vtut sit, nobis in paruo discrimine ponetur.

Inordinatum eiúsque species.

Inordinatum, quũ vel ordo, vel dignitas verbis deest.

Cuius species potiores censentur.
- *Tapinosis,*
- *Cacemphaton,*
- *Cacozelon,*
- *Aschematiston,*
- *Cacozintheton,*
- *Soraismos,*

ταπείνωσις *Tapinosis, Vitium quo rei dignitas verbi humilitate deprimitur, vt quod Cato (auctore Gellio) Verrucam montis, pro cacumine dixit.*

Κακέμφατον *Cacemphaton, siue* αἰσχρολογίαν *Æschrologiã vocitare velis, vel quum corrupta consuetudine in obscœnum intellectum detorquetur sermo: vt Æneid. sexto, At ramum hunc, aperit ramum qui veste latebat. Terentius, Arrige aures Pamphi-*

le:

le: cùm arrectio genitali membro propria sit. Vel cùm iunctura deformiter sonat: vt, Numerum cum nauibus æquat. Quod posterius obseruare, auris est plane delicatæ.

Κακοζηλον Cacozelon, Mala affectatio, cùm ingenium scilicet iudicio caret, & specie boni fallitur: infeliciterq; æmulatur vitium, vt omnium pessimum ita hodie omnibus fermè commune.

Ασχημάτιστον Aschematiston, id est, malè figuratum, quum oratio prorsus simplex suis figuris, quibus velut stellulis reluceret, caret.

Κακοσύνθετον Cacosyntheton, malè collocatum, vbi quippiam non suum habuerit locum in quo quadret: vt, -versaq; iuuencûm Terga fatigamus hasta. Æneidos nono.

Σολοικισμός Soraismus, Missella quædam & acernatio ex variis idiomatis apud Græcos, apud nos ex verbis Barbaris & Latinis, propriis & improprijs, obsoletis & nouis. Ac vt sis sciens, in his vitijs plane nihil tibi condonârim. Nam quamuis Virgilius semel atque iterum in ipsis audax fuerit, tibi tamen non itidem hæc imitari fuerit consultum.

Barbarum, eiúsque species.

Barbarum: vitium quod ad quandam velut barbariem tendit.

Partes sunt hæ: { *Barbarismus*, *Barbaralexis*, *Solœcismus*.

βραβαρισμός *Barbarismus, Contra Romani sermonis legem aut scripta, aut pronuntiata vitiosè dictio. Fit autem additione, detractione, immutatione, transpositione, & id quidem aut literæ, aut syllabæ, temporis, toni, aspirationis. Quorum exempla partim vbi figuræ dici meruerunt, exhibuimus: partim barbarorum tum locutio, tum scriptio (ne dubita) suppeditabit. In Græcis Poetis vbique sunt obuia. His enim nihil negatum ridet Martialis: adeò, vt apud illos is fermè optimus habeatur Poeta, qui in eiusmodi quàm maximè audax fuerit. Ad hæc indecoras literarum quarundam pronuntiationes barbarismi nota inurunt* ἰωτακισμοὺς *scilicet,* λαβδιακισμοὺς, μετακισμοὺς, πλατειασμούς. *Sic enim Græci fingendis nominibus (ait Fabius) fœliciores vocãt: vt &* κοιλοστομίαν, *quum vox quasi in oris recessu auditur.*

βάρβαραλέξις, *Id est Barbara dictio, quoties Romano sermoni peregrinæ Linguæ dictio inseritur: vt, Caza apud Maronem quod est Persicum: & Mastruca apud Ciceronem, Sardum vocabulum.*

Σολοικισμός *Solœcismus, Est (inquit Asinius Capito apud Gellium) impar, & inconueniens compositura partium orationis, quæ per omnia partium orationis accidentia notatur, quum alia orationis pars pro alia ponitur, quum genus pro genere, casus pro casu, tempus pro tempore, modus pro modo, numerus pro numero, aduerbium pro aduerbio, præpositio pro præpositione. Horum omnium exempla,*

non

non vt imitareris, sed vt notata minori negotio deuitares, oppidò quàm libens adscripsissem, si per chartæ angustiam licuisset. Quare vel ipse obserues, vel ex Donato petas licebit.

VIRTVS.

Schematis pars tertia.

Virtus, qua oratio honestatur, attollituŕque supra vulgi sermonem.

Cuius genera duo, { *Proprietas,* / *Ornatus.*

Proprietas, & eius partes.

Proprietas, quæ vel scripto, vel pronuntiatione, vel verbis nihil improprium habet.

Eius partes sunt: { *Analogia,* / *Tasis,* / *Symtomia.*

Ἀναλογία *Analogia, est proportio quædam, finitore Diomede (nam nobis non perinde probatur) qua recte scribendi ratio conseruatur. Hanc etsi proprietatis partem fecerit Diomedes, quid tamen sibi voluerit, non video.*

Τάσις *Tasis, qua verborum dulcis ac iucunda seruatur modulatio: quòd alia acuto tenore, alia graui, alia flexo moderamur. Quæ virtus ad vocis flexibilitatem præcipuè pertinet.*

Συντομία *Symtomia, quum breui & compendioso*

verborum ambitu, res quantumuis ingens pro dignitate redditur. Virgil. Æneid. 1.

Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar,
Imperium Oceano, &c. Eſt & orationis velut lux quædam, quæ verba ipſa rei propriæ adeò accõmodat, vt non tam narrari quàm geri videatur. Hanc virtutem Græci quii lucem, quam rebus addit, ſpectant, ἐνάργειαν: qui verò mouendi efficaciam, ab opere ἐνέργειαν appellare conſueuerunt.

Ornatus & eius ſpecies.

Ornatus orationis ſuo ſe nomine prodit, vt finitione minimè ſit opus.

Genera eius hæc, { Syntheſis, Cyriologia, Tropus.

Σύνθεσις Syntheſis, Apta & concinna modulis ſuis ſtructura, qua alius pes alio iucundiorem clauſulam efficere dignoſcitur. Qua de re Cicero libro de Oratore tertio, & Fabius in nono abundè ſatis diſſeruêre.

Κυριολογία Cyriologia, Propria & ſana oratio, quam ipſa veritas & ſimplicitas exornant: vt, Romanos rerum Dominos, gentémque togatam. Hanc virtutem Quintilianus non vno tantùm loco laudibus vehit.

Τρόπος Tropus, Quam clariſſimi Latinorum Motum appellarunt, eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam virtutem mutatio.

Cuius

Cuius priores partes colliguntur hæ,

- *Metaphora,*
- *Catachresis,*
- *Metalepsis,*
- *Metonymia,*
- *Antonomasia,*
- *Epitheton,*
- *Synecdoche,*
- *Onomatopœia,*
- *Allegoria,*
- *Periphrasis,*
- *Hyperbaton,*
- *Hyperbole,*
- *Emphasis,*
- *Homœosis.*

ΜΕΤΑΦΟΡΑ *Metaphora, id est Translatio, tropus longè pulcherrimus, quando vel nomen vel verbum, ex eo loco in quo proprium est, in eum in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est, transfertur: vt, Video, à corporeo sensu cui proprium est, ad animi intelligentiam transfertur.*

Hæc multis fit modis.

Deflexione, quum vox è propinquo ad rem proximam detorquetur: vt, Video pro Intelligo: concoquere pro ferre: deuorare pro vincere ac perferre. Siquidem in ijs, id quod est corporis, ad animum transfertur, quo genere nihil est vsitatius.

Ab irrationali ad rationale: vt Terentius, Quid ille gannit? Quod vulpium proprium est.

Aut contra: vt si poetam, cygnum: musicum, luscinium dicamus, ceu facit Virg. Georg. 4. dum de apum repub. dicit.

Magnanimosq; duces, totiusque ex ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Ab inanimali ad animal: vt Virgilius Æneid. 11.

-si tantum pectore robur concipis.

Hic à ligno ad hominem translationem fecit.

Aut contra: At procul excelso miratus vertice montis. Hic hominis verticem ad montem traduxit.

Ab animali ad animali: vt Pascentes apes.

Ab inanimato ad inanimatum: vt, Si quis sylvam scatere dicat, quod est fontium.

Ad hæc quædam translationes sunt reciprocæ siue communes, quas Græci ἀνάλογας vocant. Nam vt pro gubernatore rectè dixeris aurigam, ita & pro auriga gubernatorem. Quædam vnius duntaxat partis, quas illi ἀναλόγας appellant. Siquidem vt rectè pro montis cacumine Verticem dixeris, ita non rectè pro vertice Cacumen, ad hominem traduxeris. Atque hoc loco admonitum te velim Lector amice, translationem vnam esse, quæ in loco adhibita, ingens decus addat orationi. Quare consultum fuerit, insignem metaphorarū vim ex optimis auctoribus annotatam comparare. Sunt autem, inquit Roterod. apud M. Tullium optimæ, apud Quintilianum plurimæ. Sed & nos (si deus aspirarit) in volumen iustum diligenter congeremus ex vtriusque linguæ auctori-

staribus insignes translationes, modò alius quispiam non præuertat.

Καταχρησις *Catachresis, Verborum abusio, quæ non habentibus nomen suum, accommodat quod in proximo est: vt. Si Parricidam appelle, non qui patrem occiderit, sed aliàs hominem quemuis.*

Μετάληψις *Metalepsis, Transumptio, Ea est (inquit Roterod.) vbi gradatim itur ad id quod ostenditur. Virg. in primo, Speluncis abdidit atris. Nigræ enim intelliguntur, ex nigris tenebrosæ, ac per hoc in præceps profundæ. Verùm huius tropi vsus magis incidet in carmine quàm in oratione soluta.*

Μετωνυμία *Metonymia, id est Transnominatio, quum inuentorem pro re inuenta ponimus: vt, Sine Cerere & Baccho friget Venus, dixit Comicus. Quod si vertas, erit durius: vt, Vinum precemur, pro Baccho. Vel quum continens pro eo quod continetur, vsurpamus. Nunc pateras libate Ioui. Vel è conuerso. Vina coronant: pro poculis, dixit Maro. Vel quum dominus rei pro re ipsa ponitur: vt, De sene gustauit: pro, de pecunia senis. Vel quum ex effectu efficiens accipimus: vt, Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Vel quum ducem pro his qui subsunt: vt, Cæsus Annibal. Vel quum auctorem pro opere: vt, Terentius semper in manibus habendus.*

Αντονομασία *Antonomasia, Ea est nominis permutatio: vt si quis pro Achille Pelidē dicat, pro Iunone*

ne Saturniam, quemadmodum Virgilius & Horatius.

Ἐπίθετον, Epitheton, id est appositum, quoties proprium nomen adiecto, aliquo quasi vestitur: vt, Atpius Aeneas, saeuus Hector, formosus Alexis, apud Poetam.

Συνεκδοχή Synecdoche. Quam Cicero intellectionem vocat, quoties ex vno plura intelligimus: vt Romanus praelio victor: pro Romani. Ex parte totum: vt Mucronem pro gladio. Retroq; : vt, ingens à vertice pontus. Ex specie genus, Iracundior, Adria, pro quouis mari, dixit. Horatius. Ex materia, rem confectam: vt, Ferrum pro gladio. Ex praecedentibus sequentia: vt, Virgineam soluit zonam, id est, deuirginauit. Breuiter quum aliud ex alio intelligitur: vt, Vixerunt, pro mortui sunt, exclamauit orator.

Ονοματοποιία Onomatopoeia, Nominis confictio, soni imitatione. Clangorq; tubarum. Virgil. Tinnire, balare, mugire, & reliqua quae significandi gratia pro tempore fingimus.

Ἀλληγορία Allegoria, Quam inuersionem interpretantur, quum aliud verbis, aliud sensu ostenditur, ac nonnunquam contrarium.

Species nominantur hae.
- Aenigma,
- Paroemia,
- Ironia,
- Sarcasmus,
- Astysmus,
- Mycterismus.

Anti-

Antiphrasis,
Charientismus.

Αἴνιγμα Ænigma, Obscura quædam Allegoria, magis vitium Quintiliano quàm virtus, quum dilucidè dicere virtutis nomine commendetur. Hinc opinor motus Diomedes & vitijs & virtutibus commumerat, Cuius exemplum aptissimum extulit Hesiodus, Georg. πλέων ἥμισυ παντὸς. Quod Plato libro de Legibus tertio exponit multis verbis, quæ omnia huc tendunt. Satius esse ἀδικεῖσθαι, quàm ἀδικεῖν: Hoc est, iniuriam pati, quàm inferre.

Παροιμία Paræmia, id est, Adagium (definitore magno illo Erasmo) dictum celebre aliqua nouitate insigne: vt, Lupus est in fabula, Terentius, quum silentium moneat. An autem hæc finitio huic loco quadret qui velit, ex Erasmi Chiliadibus inquirat. Diomedes certè, & Donatus Allegoriæ speciem faciunt.

Εἰρωνία, Ironia, Illusio, quæ non ex verbis, sed vel pronuntiatione, vel persona, vel rei natura intelligitur: vt, Heus tu bone vir, curasti probè. Terentius in Andria.

Σκῶμμα Sarcasmus, Iocus amarulentus, atque hostilis derisio: vt, En agros, & quam bello Troiane petisti, Hesperiam metire iacens. Æneid. 12.

Ἀστεισμός Astysmus, Vrbanitas, & orationis quasi festiuitas: vt, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui. Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos. Virgilius.

Μυκτηρισμός *Mycterismus*, *Simulatus risus, sed tamen non latens: quod Persius naso suspendere vocat*, μυκτὴρ enim Græcis (auctore Iulio Polluce) *nasum significat.*

Αντίφρασις *Antiphrasis, vnius verbi ironia: vt, bellum dicitur, quod minimè bonum, & Hieronymus monachum quendã Vigilantiũ per* ἀντίφρασιν *vocitãt.*

Χαριεντισμός *Charientismus, Quo duriora re ipsa gratiosis verbis molliuntur. Terent. Bona verba quæso, quum pistrinum deprecaretur Dauus, quod Plato de Rep. primo* εὐφημεῖν *dicit. Et hæ iam dictæ sunt allegoriæ species.*

Περίφρασις *Periphrasis. Latinè (tametsi inuito Fabio) Circumloquutio; est fusior & copiosior rei descriptio, aut ornandæ rei gratia quæ pulchra est: vt,*

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono diuũm gratissima serpit. Æneid. 2.

Aut tegendæ rei gratia quæ turpis, placidũq; petiit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.

Υπέρβατον *Hyperbaton, Transgressio quædam verborum, ordinem communem perturbant.*

Cuius species, { *Anastrophe,* *Dialysis,* *Diacope,* *Synchysis,* *Hysteron proteron.*

Anastrophe, Reuersionem dixeris, est verborum tantùm

tum ordo præposterus, vt mecum, tecum: pro, cum me, & cum te, Italiam contra, pro contra Italiam, apud Virgilium in 1.

Διάλυσις Dialysis, siue παρένθεσις Parenthesis, Ordinis dissolutio per interpositam sententiam: vt, Æneas: (neque enim patrius consistere mentem Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achaten.

Διαιρεσις Diæresis, siue τμῆσις Tmesis, Dissectio, quum scilicet dictionis compositæ iunctura soluitur aliquo interposito: vt, septem subiecta trioni: tum, Septentrioni dicendum fuisset.

Σύγχυσις Synchysis, Confusio: Est enim quoties ordo omni ex parte turbatur. Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa vocant Itali medijs quæ in fluctibus aras. Habet autem ordo hoc modo, auctore Donato, Treis naues abreptas notus torquet, in saxa: quæ Itali vocant aras.

Ὑστέρου πρότερου Hysteron proteron, siue ὑστερολογία Hysterologia, quum id quod secundo loco fit, priorem in orationis ordine possidet: Et torrere parant flammis, & frangere saxo. Æneid. 1.

Ὑπερβολή Hyperbole, auctore Fabio, Dementiens est superiectio, vt, quæ fidem non mereatur: vel augendi gratia: vt, Ocior Euro vita nostra, apud Horatium dicitur, vel minuendi gratia: vt, Testudine tardior. In quo Tropo monet Quintilianus modū in primis seruari oportere, ne in κακοζηλίαν vitium supra notatum, nos indicat.

Εμφα-

Ἔμφασις *Emphasis*, *siue cùm latens aliquid vnà significatur, siue expressior denotatio: Hæc cùm multis fiat modis, hunc habet præcipuum, quoties fixum pro mobili ponitur: vt, Scelas pro sceleſto.*

Ὁμοίωσις *Homœosis, Ignotæ rei per eius quæ magis nota est, similitudinem expressio.*

Cuius genera recensentur: { *Icon,* *Parabole,* *Paradigma.*

Εἰκὼν *Icon, Imago, quum quippiam ad imaginem alterius rei quasi describimus: vt, Os, humerosque deo similis. Hîc enim ad dei imaginem Æneam comparauit Poeta.*

Παραβολή *Parabole, quam Cicero collationem interpretatur: Ea est (inquit Donatus) rerum genere dissimilium comparatio. Plato in Eutiphone, Iuuenum imprimis rationem habere conuenit (nam sic transponimus, vt in optimos viros adolescant, haud aliter ac prudentem agricolam teneriusculis plantis primam curam adhibere decet, deinceps verò & alias non negligere.*

Παράδειγμα *Paradigma, quum ex historia res aliqua narratur, qua velut exemplo accendimur & ipsi eiusmodi vel facere vel vitare. Cuius vsus tam est frequens cùm apud poetas, tum apud oratores, vt minime opus videatur exempla in medium afferre.*

Quidam præter tropos etiam ad orationis virtutes Φράσιν *pertinere putant, quam* χρονογραφίαν, τοπο-

πογραφίαι, τοποθεσίαι, αἰτιολογίαι ἐπανόδῳ, καταλογῳ, συλλογισμῷ, ἀποστροφῇ, atque id genus alijs constare putant, quæ nos finitionibus minimè explicabimus, partim, quòd propius ad orationis copiam attinere videantur: partim, quòd ipsa etymologia, & prima (quod aiunt) fronte, quid rerum sint, præ se ferant: partim etiam, quòd nostri instituti angustia non sinit Chrysippeum hunc aceruum explere.

IN RHETORICA Tabulæ, N.

TRIA sint omnino causarum genera, Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.

Demonstratiuum.

Demonstratiuum, quum laudamus, aut vituperamus.

Et est triplex, scilicet: { *Personarum*, *Factorum*, *Rerum.*

Demonstratiuum personarum.

Demonstratiuum personarum habet orationis partes quatuor: videlicet, { *Exordium*, *Narrationem*, *Contentionem*, *Perorationem.*

Exordium constat locis, { *Beneuolentiæ*, *Attentionis*, *Docilitatis.*

Rebus

Benevolentia petitur à { Rebus & Personis.

Sunt verò plurimi benevolentiæ captandæ loci, qui hic recenseri nequeunt. Vtimur nonnunquam insinuatione etiam, quam turpitudinem quæ in causa videtur esse excusamus.

Attentio, quum affirmas te dicturum esse de { Nouis, Necessarijs, Vtilibus, Difficilibus, Obscuris } rebus.

Docilitas, quum affirmas. { Breuiter, Dilucidè } te dicturum.

NATALES.

Narrationis ioci { Pueritia, vbi de ingenio dicitur & educatione. Adolescentia, vbi studia cõsiderantur. Iuuentus, vbi res publicè aut priuatim gestæ considerantur. Senectus. Mors, quæ illam secuta est.

Contentione ferè hoc genus caret, quia agitur de dubijs rebus.

Peroratio constat { Enumeratione argumentorum, Affectu.

Demonstratiuum factorum.

Demon-

Demonſtratiuum factorum habet partes quinque,
- *Exordium,*
- *Narrationem,*
- *Confirmationem,*
- *Confutationem,*
- *Perorationem.*

Exordium ab ijſdem locis petitum, à quibus ſupe-rius. Narratione in hoc genere raro vtimur, frequen-tius propoſitionibus.

Confirmationis loci,
- *Honeſtum,*
- *Vtile,*
- *Facile,*
- *Difficile,*
- *Poſſibile,*
- *Impoſſibile.*

Circumſtantiæ,
- *Quis,*
- *Quid,*
- *Vbi,*
- *Quibus auxilijs,*
- *Cur,*
- *Quomodo,*
- *Quando.*

Confutatio ferè non incidit in laudes. Huius au-tem loci ſunt contrarij confirmationi.

Peroratio conſtat
- *Repetitione argumentorum,*
- *Affectu*
  - *Gratulationis, in lætis:*
  - *Imitationis, in lætis:*
  - *Commiſerationis, in triſti-bus.*

Demon-

Demonstratiuum rerum.

Demonstratiui rerum sunt partes quinque:

Quæ sunt,
- *Exordium,*
- *Propositio, nam in hoc genere narratio nulla est, sed vice narrationis propositio ponitur.*
- *Confirmatio cuius loci,* — *Honestum, Vtile, Facile, Difficile.*
- *Confutatio, quæ locis contrarijs constat.*
- *Peroratio, quæ constat ijsdem locis quibus supra.*

Deliberatiuum.

Deliberatiuum, quum suademus aut dissuademus, petimus, hortamur aut dehortamur.

Huius partes.
- *Exordium,*
- *Narratio, quæ rara est: Eius vice propositio ponitur. Nonnunquam incidunt breues narrationes, sed statim sequitur propositio.*
- *Cõfirmatio, cuius loci,* — *Honestũ, Vtile, Facile, Difficile.* *Exempla plurimum valent in hoc genere.*
- *Confutatio, quæ à locis contrarijs petitur*

Perora-

Peroratio, vt suppa, Enumeratione & affectu constat.

IVDICIALE.

Iudiciale, quo controuersiæ ac lites continentur.

Huius triplex est status.

Qui sunt, { *Coniecturalis, An sit,*
Iuridicialis, Iure an Iniuria
Legitimus, Quid sit.

De coniecturali statu, An sit.

Status coniecturalis constat quinque partibus.

Quæ sunt, {
Exordium,
Narratio, quæ est historica facti commemoratio, quam sequitur statim propositio.
Confirmatio,
Comprobatio,
Peroratio.

Confirmationis autem huius loci sunt duo, scilicet, { *Voluntas,* *Potestas.*

Voluntatis loci, {
Qualitas personæ,
Causa inducens ad suscipiendum facinus.

Cuius loci, {
Impulsio, quæ est affectus, ira, odium, auaritia, &c.
Ratiocinatio, quæ à spe commodorum ducitur.

Potestas constat circumstantijs,
- Loco,
- Tempore,
- Viribus, Idem sunt loci defensoris,
- Signis,
- Antecedentibus,
- Consequentibus.

Defensor tamen addet
- Absolutionem, quum docemus id signum quod factum est, misericordia & humanitate factum esse.
- Inuersionem, qua docemus signum quod contra nos producitur, pro nobis facere.

De Iuridiciali: Iure an Iniuria.

Iuridicialis partibus constat quatuor, scilicet,
- Exordio,
- Narratione,
- Confirmatione, cuius proprij sunt loci,
- Peroratione.

Est autem duplex status negotialis
- Absolutus,
- Assumptiuus.

Absolutus, quum simpliciter aliquid defenditur.

Cuius loci sunt
- Natura,
- Lex,
- Consuetudo
- Æquum,
- Bonum.

Cuius

Cuius loci sunt { *Iudicatum,* *Pactum.*

Assumptiuus, quum assumpta re extranea, defensio tractatur.

Eius loci sunt { *Concessio,* *Translatio* } *criminis.* *Remotio,*

Concessionis partes { *Purgatio, quum fatemur nos peccasse, sed per imprudentiam aut casum.* *Deprecatio.*

De statu legitimo quid sit.

Legitimus status constat partibus quatuor, scilicet, { *Definitione,* *Contrariis legibus,* *Ambiguis scriptis,* *Ratiocinatione.*

FIGVRÆ TVM VOCABVLORVM, tum Sententiarum.

Tres sunt figurarum ordines.

Quorum { *Primus pertinet ad dictionem tantùm figurandam.*
Secundus pertinet ad orationem figurandam,
Tertius pertinet non ad orationem tantùm ornandam, sed etiam auget corpus orationis: quem Cicero exornationes sententiarum vocat. Hic est Quintiliano vel forma amplificandi, vel argumenta.

Ordo primus.

Ordo primus, qui ad dictionem tantùm figurandam spectat.

Diuiditur in { *Tropum,* *&* *Schema.*

Tropus est dictionis vel orationis mutatio à propria significatione ad cognatam.

Dictionis, vt { *Metaphora* *Onomatopœia* *Sinecdoche* *Periphrasis, quæ fit* { *Etymologia* *Notatione* *Definitione.* *Catachresis* *Metonymia* *Metalepsis.* *Antonomasia.*

Orationis vt, { *Allegoria* *Hyperbole* *Icon* *Parabola* *Paradigma.*

Allegoriæ species, { *Ænigma,* *Paræmia,* *Ironia,* *Sarcasmus,* *Astysmus,* *Mycterismus,* *Antiphrasis,* *Charientismus.*

Parabola tamen & Paradigma ad confirmandum potius pertinent, & inter argumenta recenset Fabius.

Schema est vocis inflexio, quæ auribus tantùm inseruit.

Est q̃

Est q; duplex: vi,
Grammaticū: Eius genera sūt,
Orthographicum, Eius species sunt,
Prothesis
Epenthesis
Paragoge
Aphæresis
Syncope
Apocope
Ecthasis
Systole
Synalœpha, &c. vide Donatum & Mosellani tabulas
Vsus horum in carmine est.
Syntacticum: Eius species sunt,
Prolepsis
Zeugma
Syllepsis
Synthesis
Synecdoche
Antyptôsis
Hyperbaton.
Rhetoricum: Eius species sunt,
Repetitio
Complexio
Copulatio
Traductio
Asyndeton
Polysyndeton
Homœopeuton
Homœoteleuton
Hypallage
Paronomasia
Anaclasis
Apostrophe
Ecleipsis

Ordo secundus.

Ordo secundus pertinet ad orationem tantùm figurandam.

Huius ordinis sunt

- *Interrogatio*
- *Subiectio*
- *Exclamatio*
- *Dubitatio*
- *Paradoxum*
- *Communicatio*
- *Permissio*
- *Licentia*
- *Auersio*
- *Prosopopœia.*

Sub exclamatione cõtinentur

- *Imprecatio*
- *Obtestatio*
- *Ominatio*
- *Adoratio*

Ordo tertius.

Ordinis tertij sunt, quæ Ciceroni exornationes sententiarum dicuntur. Suntq; ea quæ sequuntur.

Ordinis tertij sunt

- *Auuersis,*
- *Tapinosis,*
- *Meiosis,*
- *Synonymia.*
- *Incrementum,*
- *Gradatio,*
- *Congeries,*
- *Contentio,*
- *Contrarium,*
- *Antithesis,*
- *Commutatio,*
- *Communicatio.*

Verbis fiunt singulis.

Ordi-

Regressio,
Responsio
Præteritio,
Paralepsis, sive
Occupatio, quæ a Cicerone Præsumptio dicitur, à Fabio, Occupatio,
Transitio,
Metabasis,
Correctio,
Interpositio,
Reiectio,
Ætiologia,
Confessio,
Ordinis tertij sunt
Λιπαιολογία excusatio est,
Finitio,
Hypotyposis,
Expolitio,
Distributio,
Diuisio,
Prosopopœia,
Sermocinatio,
Chronographia,
Topographia,
Comparatio,
Sententia,
Apophthegma,
Epiphonema,
Clausula,
Noëma.

Pathopœia, affectuum varietas, quæ petitur à circumstantijs, à { *Sexu, Temporibus, Locis, Personis, Ætatibus, &c.*

In Erasmi Librum de copia Tabulæ.

Triplex est Copia.

Videlicet, { *Dictionum, Orationum, Sententiarum.*

DICTIONVM COPIA.

Dictionum copia, quæ fit singulis vocabulis, consistit in Synonymia, quæ est, quum diuersa verba eandem omnino rem declarant.

V't, { *Ensis, gladius,* / *Domus, ædes.*

Huc pertinent, quæ { *Sordida, insitata, Poetica, Prisca, Obsoleta, Dura, Peregrina, Nouata.*

ORATIONVM COPIA.

Ora-

Orationum copia multas habet variandi rationes, videlicet.

- Enallagen, 1.
- Antonomasiam, 2.
- Periphrasin, 3.
- Metaphoram, 4.
- Allegoriam, 5.
- Catachresin, 6.
- Onomatopœiam 7.
- Metalepsim, 8.
- Metonymiam, 9.
- Synecdochen, 10.
- Æquipolentiam, 11.
- Comparatiua, 12.
- Relatiuorum cõmutationem 13.
- Amplificationem, 14.
- Hyperbolen, 15.
- Diminutionem, 16.
- Compositionem, 17.
- Constructionem, 18.
- Mutationem figuræ. 19.

Enallage est, quum voce modicè deflexa, varietatis nonnihil conciliatur, Constat autem,

Potißimum duobus modis,
- Partis mutatione,
- Qualitatis mutatione.

Partis mutatio fit, quum permutatur verbum
- Nomine,
- Participio,
- Supino.

vt { Non dubito, non est mihi dubium:
Amantem redama, Redama eum qui te amat:
Venit vt eripiat, Venit ereptum.

Qualitatis nouatio fit quum aut mutatur { Numerus, Persona, Genus.

vt { Romanus prælio victor, pro Romani victores.
Quid facias? vt homo est, ita morem geras:
Lachrymat, pro lachrymatur.

2. Antonomasia, est nominis permutatio, vt Æacides pro Achille. Nonnunquam Epitheton pro ipso nomine ponitur. Liuius, Abundat multitudine hominum Pœnus, Pœnus pro Annibale.

3. Periphrasis, rem quæ breuius significari potuisset, latius ostendit: vt Troiani belli scriptor, pro Homero.

Constat autem { Etymologia, quum nominis rationem explicamus.
Notatione, quum accidentium indicio aliquid significatur.
Finitione, vt pro Rhetorica, bene dicendi ars.

4. Metaphora, est quæ vocem propriam ad cognatam transfert. Hanc putat M. Cicero tanquam stellis quibusdam illuminare orationem, planeq; orationi lumen adferre.

Sumun-

Sumitur autem Metaphora a
- Deflexione,
- Irrationali ad rationale,
- Rationali ad irrationale,
- Animali ad non animal,
- Non animali ad animal,
- Animali ad animal,
- Inanimato ad inanimatum.

Deflexio, quoties vox è propinquo ad rem proximam flectitur.

Vt
- Videre
- Audire

pro
- Intelligere,
- Obtemperare.

Ab irrationali ad rationale, vt
- Liuius: M. Portius Cato qui allatrare Scipionis magnitudinem solebat.
- Terentius. Quid ille gannit? quod vulpium proprium est.

A rationali ad irrationale: vt, Si perfidum, vulpem dicamus.

Ab animali ad non animal, vt
- Ridet ager.
- Parturit arbos.

A non animali ad animal, vt ambo florentes ætatibus, viridis ætas.

Ab animali ad animal, vt pascentes apes.

Ab inanimato ad inanimatum, vt Oratio fluit, Sylua scatet.

Sunt

Sunt autem quædam Metaphoræ { Ἀκολουθαί, vt gubernator, & auriga, quæ possunt conuerti. Ἀνακολουθαί, vt vertex, quod rectè ab homine ad montem transfertur: Cæcumen, quod montis est, non item.

5. Allegoria est multorum verborum continuata metaphora: vt, Iugulum petere, pro eo, quod est, Causæ caput aggredi.

6. Catachresis est verbi abusio, vt quum dicimus parricidam, qui matrem aut fratrem occiderit.

7. Onomatopœia, fictio nominis dicitur: vt, Taratantara. Huc pertinet Paragoge, id est, deriuatio nouorum verborum ex Analogia sumpta: vt Syllaturire, pro Syllæ mores imitari.

8. Metalepsis, quum ex vno significato aliud colligitur: vt, Speluncis abdidit atris: nam, nigræ intelliguntur, & ex nigris obscuræ, & per hoc in præceps profundæ.

9. Metonymia est transnominatio.

Fit autem quum ponimus { Inuentorem / Continens } pro { Inuento, / Contento.

Exemplum { primi, / secũdi, } vt { Sine Cerere & Baccho friget Venus. / Epotos cados, Sæculum fœlix.

Fit præterea & alijs quibusdam modis.

10. Sy-

10. Synecdoche (quam intellectionem vocant, quum intelligimus

ex { Vno, plures / Parte, totū } vt { Pannus fugatus, pro Pæni. / Macronem, pro gladio. }

11. Æquipollentia, vt { Placet, Accipio } non { Displicet, Recuso. }

12. Comparatiua, quæ copia nascitur ex contrarijs.

Prius habet { Lucrum Honestū } quam { Honestum Lucrum }
Posterius

13. Relatiuorum commutatio, vt, { Vxor illius esse non vult: Non vult illum maritum. Non alium mihi patrem optem: Nullius malim esse filius. }

14. Amplificatio est, quum verbum atrocius subijcimus loco proprij.

vt quum dicimus { Latronem, Occisum } pro { Improbo, Cæso. }

Ad Auxesim pertinent { Scelus, Monstrum, Pestis, Labes, &c. }

15. Hyperbole, vt { Ocior Euro, Vox astra ferit. }

16. Di-

16. Diminutio, Cũ eũ qui pulsauit, dicimus attigisse. Interdum μείωσις sapit Hyperbolen.

vt { Vix ossibus hærent.
Breuior Pygmeo.

17. Compositio sita est in his fermè figuris, { Asyndeto, Polysyndeto, Syzeugmeno, Epanalepsi, Synonymia.

Asyndeton: vt, Veni, vidi, vici.

Polysyndeton: vt, Tectumque, laremque.

Syzeugmenon: quoties ad vnum verbum plures sententiæ respondent.

Fit autem trifariam, quum { Præponitur, Sequitur, Interponitur.

vt { Deflorescit forma vel morbo vel ætate.
Vel morbo vel ætate forma deflorescit.
Aut ætate forma deflorescit, aut morbo.

Epanalepsis, Nihilne te nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultúsque mouerunt? Cicero in Catilinam.

Synonymia, vt { Vicit timorem audacia,
Rationem superauit amentia,
Libido pudorem expugnauit.

18. Con-

18. Constructio: vt, { *Multum pudorem, multum pudoris.* / *Scripsit mihi, Scripsit ad me.*

19. *Mutatio figura, quoties alio atque alio affectu pronuntiatur oratio.*

Fit autem ferè per { *Interrogationem,* / *Ironiam,* / *Admirationem,* / *Dubitationem,* / *Adiurationem,* / *Abominationem,* / *Exclamationem,* / *Occupationem,* / *Subiectionem.*

Interrogatio, Nihil te est vanius: An quicquam (te vanius?

Ironia, Non ista curat populus: Id populus curat scilicet.

Admiratio, Magnum bonum porto: Dij boni, boni quid porto?

Dubitatio, Tum Deos contemnit, tum homines: Haud scio, magisne Deos contemnat, an homines.

Adiuratio, Nihil mihi charius fama: Dispeream si quid mihi charius fama.

Abominatio, Est vir impurus: O hominem impurum? Hoccine saeculum? O scelera? O genera sacrilega? O hominem impurum!

Occupatio, Virgines complures stuprauit, vt interim de Vestali incestu pollutaque fileam.

Sub-

Subiectio, vt, quod adolescens præstiti, cùm etiam errare cum excusatione possem, id nunc ætate præcipitata commutem ac retexam? Non faciam. Cicero epistolarum familiarium libro vndecimo.

SENTENTIARVM COPIA.

Liber secundus.

Sententiarum copia est, quum oratio amplificatur

per
- *Distributionem,* 1.
- *Enumerationem* 2.
- *Hypotyposim,* 3.
- *Egressionem,* 4.
- *Epitheta,* 5.
- *Circumstantias,* 6.
- *Amplificationem,* 7.
- *Propositiones,* 8.
- *Probationes,* 9.
- *Tractationem locorum communium, virtutum, ac vitiorum,* 10.
- *Locos communes,* 11.
- *Exempla,* 12.
- *Tractationem exemplorum,* 13.
- *Exempla fabulosa,* 14.
- *Expolitionem,* 15.
- *Apologos,* 16.
- *Somnia,* 17.
- *Fictas narrationes,* 18.
- *Multiplicationem partium Rhetoricarum,* 19.

Totius

I. *Distributio est rei* { *Totius in partes.* / *Generis in species.*

Totius in partes: vt, Totus monstrum est, pilosæ genæ, dentes putridi, fœdi oculi, supercilia, frons, vultus denique totus barbarus est.

Generis in species: vt, Luxuria cùm omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est.

II. *Enumeratio, quam enumerantur res*
- *Occasiones,*
- *Causæ,*
- *Consilia,*
- *Acta,*
- *Eventus,*
- *Præcedentia,*
- *Consequentia.*

III. *Hypotyposis consistit descriptione*
- *Rerum,*
- *Personarum,*
- *Locorum,*
- *Temporum.*

Hypotyposis rerum consistit in
- *Circumstantijs,*
- *Collationibus,*
- *Similitudinibus,*
- *Dissimilitudinibus,*
- *Imaginibus,*
- *Metaphoris,*
- *Allegorijs,*
- *Epithetis,*
- *Gentium formis & moribus,*
- *Fabulosis descriptionibus.*

Horum exempla passim multa habes, in Primo Liuij, vbi Albæ excidium describitur. Apud Fabium Lib. 8. Cap. 3. de Energia.

Hypotyposis personarum, quæ depinguntur à
- *Genere,*
- *Natione,*
- *Patria,*
- *Sexu,*
- *Ætate,*
- *Educatione,*
- *Disciplina,*
- *Studijs,*
- *Habitu corporis,*
- *Fortuna,*
- *Animi conditione.*

Exempla sunt plurima: apud Liuium, lib. 1. Decadis tertiæ depingitur Annibal. Et libro nono Decadis quartæ M. Portius Cato. Apud Salustium Catilina & plerique alij.

Hypotyp. locorum est duplex. Τοπογραφία, Τοποθεσία. *si est* *Vera, Ficta.*

Vera, vt apud Maronem Carthaginis & portus de- *Ficta, vt apud Ouidium, domus Famæ.* (scriptio.

Hypotyposis temporum comprehendit descriptiones
- *Veris, Hyemis, Autumni, Æstatis, Vindemiæ, &c.*
- *Item Qualitates temporum,*
- *Pacis, Belli, Seditionum, Turbationum, &c.*

4. Egres-

IIII. Egressio adhiberi solet. { Laudandi, Vituperandi. / Ornandi, Præparandi. } gratia.

Sumitur à superioribus locis, { Expositione rerum gestarum. / Descriptione locorum & Apologorum. / Locis communibus, quum dicimus in iucunditatem, asperitatem, &c. & contrariorum laudamus virtutes, continentiam, &c.

V. Epitheta sumuntur ab omnibus fortunæ commodis, Animo, Corpore, Bonis externis, Genere, Opibus Forma, Viribus, Patria, Actu, Eventu.

VI. Circumstantiæ sunt duplices: vt, { Rerum. / Personarum.

Rerum: vt, Causa, Locus, Occasio, Instrumentum, Tempus, Modus, &c.

Personarum: vt, Natio, Patria, Sexus, Ætas, Educatio, Disciplina, Habitus corporis, Fortuna, Conditio, Animi natura, Studium, Ante acta, Commotio, Consilium, Nomen.

VII. Amplificatio constat { Incremento, / Comparatione, / Ratiocinatione, / Congerie, / Correctione.

Incremento: vt Cicero in Verrem, Facinus est vin-

cire ciuem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?

Cõparatione, quæ fit ficticne, et exempli collatione.

Ratiocinatione: vt, Tristis fauibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini exhauseras, &c.

Congerie, verborum scilicet et sententiarum.

Correctione, Cic. in Ver. Non enim furem, sed eruptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ in vestrum iudicium adduximus.

VIII. Propositiones sumuntur ex his quæ sunt { Vulgaria. Propria. Exempla sunt longiora, quam quæ hic possint recenseri.

IX. Probationes quas Græci πίστεις appellant, sunt partim { ἄτεχνοι quæ dicuntur à Præiudicijs, Rumoribus, Tormentis, Tabulis, Iureiurando, Testibus: ἔντεχνοι, quæ comprehendunt τεκμήρια, σημεῖα, μεῖα.

Ab argumentis ducuntur quæ sunt duplicia, { Personæ sunt hæc, Genus, natio, patria, &c. Res sunt, Causa, locus, facultas, antecedentia.

X. Tractatione locorum communium, virtutum et vitiorum, quales sunt, Iustitia, Iniustitia, Pax, Bel-

Bellum, Luxuria, Continentia, Anaritia, Diuitiæ, Paupertas, Voluptas, Leges, Amicitia, Pietas.

XI. Locos communes seu argumenta, quæ dicuntur à finitione, Etymologia, & ab his, quæ ad naturam definitionis pertinent: Genere, specie, proprio. Differentibus, Partitione, Diuisione, Exordio, Summa, Incremento, Inductione similium & dissimilium, Contrarijs, Repugnantibus, Consequentibus, Relatiuis, Causis, euentus: Comparatione quæ sumitur à Maiore, Minore & Pari, Inuentio, Fictione, Causæ proprijs: Exemplis, quæ adhibentur: aut vt Similia, Dissimilia, Contraria: aut vt Maiora, Minora, Paria. Huc pertinent Fabulæ, Apologi, Prouerbia, Iudicia, Parabolæ, Collationes, &c.

XII. Exempla, quorum vim quàm maximam maximéque variam comparare, & in promptu habere conuenit.

XIII. Tractationem exemplorum, quæ augentur Commendatione, quæ sumitur vel à rei, vel ab auctoris laude, vel gentis vnde ducitur exemplum, Exaggerationibus, atque Amplificationibus, Parabola, Comparatione, vbi demonstratur exemplum esse Maius, Minus, Par. Huc pertinent εἰκόνες Imagines, Inductiones, Iudicia, Prouerbia, Sententiæ, Noëmata, Epiphonemata, Contentio Demonstratiua. Collatio, quæ fit per Simile, Dissimile, Contrarium, Par, Maius, Minus.

XIIII. Exempla fabulosa, quæ eadem ratione &

fusius

fusius & contractius exponi poterunt, si res at decor patietur.

XV. Expolitio fit commutatione verborum pronuntiationis & traslationis.

Copiosissima autem expolitio constat septem partibus,
- Propositione,
- Ratione,
- Duplici sententia,
- Contrario,
- Simili,
- Exempto,
- Conclusione.

XVI. Apologi qui eodem modo dilatari aut verbo tantùm significari poterunt.

XVII. Somnia quibus vtimur aut in ostentatione vt est Luciani somnium aut pro veris, aut borrendi deterrendiue gratia.

XVIII. Fictæ narrationes, quàm maximè fieri potest, ad veri similitudinem componentur oportet.

XIX. Multiplicatio partium Rhetoricarum, quæ sunt
- Exordium,
- Narratio,
- Propositio,
- Confirmatio,
- Confutatio,
- Peroratio.

Exordium habet locos
- Fauorem,
- Attentionem,
- Docilitatem.

Narratio crescit ἐπιδιηγήσει & egressione, quæ debet

debet esse quasi finis Narrationis. Propositio dilatatur, si pro simplici, duplici vtemur: si argumentis obiter interiectis, & affectibus accensam proferemus.

Confirmatio constat probationibus, quæ crescunt { *Labefactatione, Præparatione, Asseueratione, Excursionibus per Amplificationem.*

Labefactatio fit duobus modis: Propositionibus quæ sunt singularum partium collectiones seu conclusiones: quum ita proponimus, vt ipsa orationis figura fidem abrogemus, aut conciliemus.

TABVLARVM IN ERASMI COPIAM FINIS.

IACOBVS MICYLLVS ad Lectorem.

Vt si non varijs pingantur floribus horti,
Gratia non illis, non honor vllus adest:
Sic nisi sit varijs oratio tincta figuris,
Illius & virtus & decus omne perit.
Si quem igitur fœlix oblectat copia, si quem
Pindareis tumidum passibus ire iuuat:
Sedulus has oculis verset manibusq; tabellas:
Haud equidem hinc operæ præmia parua feret.
Nec quia sunt modicæ, Lector contemnere pergas,
Mensuram vincunt vtilitate suam.

EXtat de copia firmissimi commentarius, cuius optarim vtilitatem vulgo tam perspectam esse, quam est titulus vbique notus. Quanquam enim opus in speciem minutum videatur: tamen si propius inspexeris, comperies vere esse quod audit Copiæ cornu. Nam quum figuras omnes locupletandæ illustrandæque orationis tradat & informet, non vulgarem eloquentiæ thesaurum continet. Piget me profecto iuuentutis nostræ, quum video optimis quibusque autoribus velut ordine motis, in pretio esse, amari, teri, libellos quosdam ἐφημερίους, quorum alij simpliciter inepti, alij etiam pernitiosi sunt. Catullus sæculi incomoda, malos poetas vocat: nos quãro iustius de nouitijs illis scriptis quæri possumus? Nullum est enim venenum præsentius malo libro. Quare oportuit iudicio optimos quosque libros tanquam magistros studiorum omnium ac officiorum vitæ deligere. Mihi verò nulli de hominum ingenijs melius mereri videntur, quam qui exercitationem dicendi adiuuant. Nam reliquæ literæ omnes, vbi non accesserit vsus aliquis styli, cum mutæ sunt, tum ad acuendum animi iudicium non multum conducunt. Sunt quæ ad discendi scribendique exercitationem, tanquam ex vmbra in lucem, ex puluere in arenam proferendæ. Porrò quum hic libellus de Copia mirificè conducat ad eam studiorum partem, dignus est quem in delicijs habeas, summa cura euoluas atque ediscas. Hoc ego religiosius moneo, quod intelligo quasdam pestes hominum esse, qui ab humanarum artium studio imperitam iuuentutem dehortãtur, digni sanè in quos publicis Legibus animaduertatur. Crede mihi, opinione maior vis est harum artium, nec pœnitebit in his discendis operam sumpsisse. Quare adhortor, ne quis patiatur hoc librorum genus importunitate cuiusquam sibi è manibus extorqueri: bonam operam nauauit adolescens, qui totum de Copia commentarium in hanc tabulam contulit, & oculis subiecit, vt memoriam adolescentium adiuuaret. Valete.